

No. 29. 1316.

Die Brüder Tammo und Friedrich genannt von Oelzschau (Elzkowe) eignen bei Unterbringung ihres Bruders Albert im Convent der Aussätzigen zu S. Johannis eine Wiese bei Oetzsch.

In nomine domini amen. Nos Tammo et Fridericus fratres dicti de Elzkowe una cum H. patruo nostro praesentibus litteris fideliter protestamur, quod cum Alberto fratre nostro dilecto, quem infirmitate sua proh dolor exigente apud fratres leprosos ecclesiae sancti Johannis locavimus, pratum quoddam villae Euschiz^a) adiacens ipsis fratribus leprosis donavimus et appropriavimus ad ipsorum conventum et collegium, non obstante heredum seu amicorum nostrorum quorumcunque impetitione quiete et pacifice perpetuis temporibus pertinendum. Et ne super huiusmodi donatione et appropriatione dubium aliquod apud posteros oriatur, sigillum nostrum pro cautela praesentibus duximus appendendum. Testes huius sunt providi et discreti viri Johannes Cine magister consulum cum ceteris iuratis et consulibus in Lipzk, Th. de Nuwenstat, H. de Trenowe, Jo. Rumlart, Th. de Zwerzs, Her. de Vriburg, Ot. sarworchten, Jo. de Kemerie, Pezoldo Pudernoz, Hen. de Pesna, C. Calvo et Th. Episcopo, de quorum favore sigillum praedictae civitatis Lipzk una cum dicto nostro sigillo praesentibus est appensum pro robore sempiterno. Datum Lipzk anno domini M^o. CCC. XVI^o.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem sehr wohl erhaltenen Siegel Friedrichs von Elscowe und dem grossen Stadtsiegel an Pergamentstreifen.

(Seeburg) Nachträge z. Gesch. Leipzigs I. (Leipz. 1835) S. 23.

a) Oetzsch, Par. Gautzsch.

No. 30. 1318. 24. Aug.

Markgraf Friedrich belehnt Johann von Mockau Bürger zu Leipzig mit dem Rosenthal.

Nos Fryd. dei gratia Thuringorum lantgravius Mynsensis et Orientalis marchio dominusque terrae Plysnensis omnibus in perpetuum praesens scriptum intuentibus volumus esse notum, quod fideli nostro Johanni de Mockow civi in Lypcz et suis heredibus contulimus atque praesentium litterarum serie concedimus agros et rubeta prope civitatem Lypcz sita, quae vulgariter daz Rosintayl nuncupantur, cum omni iure sicut a nostris praedecessoribus in feodo tenuit et possedit iure hereditario perpetuis temporibus possidenda. In cuius concessionis testimonium praesentem litteram dari fecimus sigillo nostri principatus roboratam, praesentibus et testibus Walthero praeposito ecclesiae Mynsensis protonotario nostro, Hartmudo de Bulewicz, Ebirhardo de Malsleybin militibus, Wolfhardo civi in Wysinvels, Tyloni de Swercz, Henrico Hardrat civibus in Lypcz et aliis quam pluribus fide dignis. Datum Wysinvels anno domini M^o. CCC^o. XVIII^o in die beati Bartholomei apostoli.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. An einem Pergamentstreifen hängt ein grösseres Bruchstück des Reitersiegels.